

The Electronic Manipulus florum

www.manipulusflorum.com

Gula ab cum fonte primo

Quidam cum
ad edendum assederint,
inquieta quadam
agitacione membrorum
intemperanciam animi sui designant.
Caput excuciant, brachia exerunt, manus
in altum expandunt, et non sine magna
turpitudine quasi totum epulum simul
sint absorpturi, ingentes quosdam
conatus et gestus satis indecoros
ostendunt.

In uno loco sedentes oculis et ←
manibus que prope et longe sunt,
omnia circumcurrunt, simul panes
comminuunt, uina in calices effundunt,
discos in gyrum circumducunt.

Hanelant et suspirant pre angustia,
ita ut existimes eos alium rugienti
uentri patientiorem aditum querere
quasi angustia faucium non possit
esurienti stomacho satis sufficientem
habundanciam ministrare,

et uelut rex super obsessam ciuitatem
assultum facturus, dubitant ubi primum
expugnacionem aggrediantur, dum simul
in omni parte irruptionem facere
concupiscunt.

Hugo in suo claustrali.

Non sicut quidam faciunt, qui cum
ad sedendum assederint,
inquieta quadam
agitacione et confusione membrorum
intemperanciam animi sui designant.
Caput excutiunt, brachia exerunt, manus
in altum expandunt, et non sine magna
turpitudine quasi totum epulum simul
sint absorpturi, ingentes quosdam
conatus et gestus satis indecoros
ostendunt.

Anhelant, et suspirant prae angustia,
ita ut existimes eos alium rugienti
uentri patientiorem aditum quaerere,
quasi angustia faucium non possit
esurienti stomacho satis sufficientem
abundantiam ministrare.

→ In uno ergo loco sedentes, oculis, et
manibus quae prope, quae longe, omnia
circumcurrunt, simul panes comminuunt,
vina in calices, et pateras effundunt,
discos in gyrum circumducunt,

et uelut rex super obsessam ciuitatem
assultum facturus, dubitant ubi primum
expugnacionem aggrediantur, dum simul
in omni parte irruptionem facere
concupiscunt.

Hugo de sancto Victore, *De institutione nouitiorum*, 18 (PL 176, col.949C-D).